

M. IO. ANDREAE PLANERI,
ORD. PHIL. ADIVNCTI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI,
PANEGYRICVS,
MEMORIAE
CELEBERRIMI THEOLOGI,
SEBASTIANI
KIRCHMAIERI,
ANTISTITIS, CONSISTORIALIS,
ET SCHOLARCHAE ROTEN-
BURGENSIS AD TVBARIM
OPTIME MERITI,



DICTVS
VITEMBERGAE,
IN
AUDITORIO MAIORI,
XVII KALENDAS NOVEMBRES,
C10 10 CCI.

VITEMBERGAE,
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI,
ACAD. TYPOGRAPHI.

Biogr. erud.

D. 1599, 56

Vitt. Erdm. fong. — Vol. 10. — 1000.

5

MATRONAE
OMNIVM
MATRONALIVM VIRTVTVM ORNAMENTIS
SPECTATISSIMAE
DOMINAE
MARIAE MAGDALENAE
NATAE NOTTNAGELIAE
DIVI
SEBASTIANI KIRCHMAIERI
VIDVAE PISSIMAE
PATRONAE SVAE VENERANDAE
VT ET
VIRO
NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO EXCELLENTISSIMOQ
DOMINO
CAROLO CHRISTIANO
KIRCHMAIERO
DOCTORI MED. LONGE CELEBERRIMO
PANEGYRIS HVIVS ACADEMICAЕ
CVRATORI
PATRONO SVO VENERANDO
HVNC
PANEGYRICVM
QVA PAR EST OBSERVANTIA
DICAT
AVCTOR

RECTOR ACADEMIAE
MAGNIFICE
ILLVSTRISSE LIB BARO
PATRES ACADEMICI ET
ASSESSORES HOSPI
TES QVE
VIRI

SVMME REVERENDI MAGNIFICI
IVRECONSULTISSIMI EXPERIENTISSIMI
EXCELLENTISSIMI NOBILISSIMI PLV
RIMVM REVERENDI AMPLISSIMI
CLARISSIMIQVE
TVQVE
FLORENTISSIMA IVVENTVTIS STUDIOSAE
CORONA



In tantus Viro, de quo dicere ingredior,
orator, quantus ipse quidem Theolo-
gus fuerit, contingere debuisset, aequius
fuisse profecto, sedere me, atque at-
tendere, dicendique partes, ac onus tantum, tam-

A 2

que

que difficile, ac arduum deprecari, aut subterfuge-
re, quam parum laudabiliter amplecti et suscipere,
quam parum ex mea ipsius, perinde ac uestra sen-
tentia, sufferre, quam parum denique ex merito
tanti Viri sustinere. Quantus enim, quam excel-
lens, quam pariter in doctrina, atque uirtute, con-
summatus, quam denique diuinus Theologus fue-
rit Diuus SEBASTIANVS KIRCHMAIERVS,
nunquam facile est uestrum, Auditores O.O. Hono-
ratissimi, qui ignoret? Et quid, obsecro, aliud haec
uolunt, in quibus consisto, pulpita, ac edocent, a-
terrimis amicta pannis; quid uestra haec tanta fre-
quentia admonet aliud, ac inculcat, quam, licet
KIRCHMAIERVS iam pridem, annisque ante qua-
draginta, Vitemberga abierit, necdum tamen
KIRCHMAIERI memoriam hac ex Academia ab-
iisse: cumque is anno superiore uitam cum morte
commutarit, eiusdem tamen illius nomen, gloriam-
que nullo temporum tractu in istac diuinae huma-
naeque sapientiae sede, domicilioque intermoritu-
ram? Sed causa fuit non una, quae ad dicendum
me non inuitaret magis, quam quodammodo ra-
peret, Honoratissimi Auditores. Non forte fortu-
na, non casu, impetuue, sed fato quodam singulari,
ut sarcinae huic tam immensae impares longe hu-
meros supponerem, lectus ego uideor, ego, in-
quam, qui multorum, magnorumque beneficio-
rum

rum nexibus sim GENTI KIRCHMAIERIAE Cla-
rissimae coniunctus, quae plus GENTI huic de-
beam, quam ulla unquam oratione satis a me ex-
plicari possit. Nullius est mortalium explorare fa-
torum causas; ueruntamen, siquid mortalem hac
in parte audere fas est, coniectare ausim, uel eam
quoque ob causam muneri huic exequendo me de-
stinatum fuisse, ut, quanto minor esset in me dicen-
di copia, et facultas, tanto magis Summi uirtus
Theologi, quibusdam uelut ex tenebris, effulgeret,
tantoque uehementiorem sui admirationem in ani-
mis hominum concitaret. His itaque de causis da-
te, quaeso, Rector Magnifice, Illustrissime Lib. Ba-
ro, Auditoresque ceteri Honoratissimi, dicturo mihi
hanc ueniam, et non tam meam confidentiam accu-
sate, quam officium meae erga FAMILIAM KIRCH-
MAIERIAM pietatis summae, atque singularis, ap-
probate: date praeterea hoc beatis potius KIRCH-
MAIERI manibus, quam meis, quibus uos obte-
stor, precibus, et dicentem me fauore, beneuolen-
tiaque uestra subleuate. Parum refert, Auditores
Optimi, quo genere quisquam ortus sit: multum,
quam bene uixerit. Ignauos saepe, saepe nequic-
quam meritos, nitor generis similiter, ac forma ele-
gans Sodomarum poma, circundat: at uera laus,
ueraque gloria, neminem, nisi uirtute, nisi uirtutis
operibus spectatum, concomitatur. Ne nostrum

quidem, sed alienum est, siquid aliunde sumus, neque a nobismet ipsis, consecuti: ut rectissime Hectori illi, maiorum suorum claritate freto, atque gloriato, Achilles, opinor, occinuerit:

*Et genus, et proavos, et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.*

Est tamen aliquid, Auditores, quantulumcunque illud sit, sanguine generoso cretum esse, si quidem imago progenitorum in posteris, tanquam in speculo quodam perpolito, reluceat, ac reddatur. Ac fere boni a bonis, a fortibus fortes procreantur; neque fieri potest, ut ab aquilis ferocibus molles, atque imbelles columbae progenerentur. Non omnis terra metallifera metalla generis eiusdem gignit. Alia aurum parit, alia argentum; cuprum alia, alia stannum, et si qua sunt alia. Similiter cum hominibus comparatum uidemus: alius in aliis familiis ingeniorum prouentus. SEBASTIANVS noster, Auditores, ortus maioribus est Nobilissimis: hi, ad aurifodinae instar, thesaurum uere aureum posteritati in SEBASTIANO reliquerunt. Anno, supra millesimum, quingentesimum, quadragesimo, donatus annulo est aureo Landshuti Boiorum at- auus, VLRICVS KIRCHMAIERVS, REICHVITIVS cognominatus: idque nominis et in hunc diem seruant, quotquot, ab alio, quam a quo Noster est, VLRICI filio propagati, Bohemiam, maximeque urbem

urbem urbium, Pragam, illustrant. Migravit uero ille, quem dixi, VLRICVS ex Carnis, Germaniae, sigillatim Norici, populo; et in uicinam Boioariam sedem suam, domumque transtulit. Sed huius alter filius, idemque SEBASTIANO nostro cognominis, in Franciam orientalem demigravit, regionem uini perinde praestantia, quam ingeniorum nobilitate inclytam: de cuius incolis, uniuerso terrarum Orbe celeberrimis, immo robore ac flore antiquo Germanicae nationis, quique rebus omni aeuo forrisime gestis Sacrum Romanum Imperium Germanis suis uindicarunt, eaque re non sibi magis, quam cunctae nationi, gloriam nominis immortalem condiderunt, si exponere instituerem, sane quam timendum foret, ne eius orationis facilius ingressum, quam exitum reperirem. Atque in hoc populo laudatissimo, Auditores, nascentem KIRCHMAIERVM uelut gremio excepit Vffenhemium, oppidum nobile, anno, supra millesimum, sexcentimum, quadragesimo primo. Pater ipsi fuit Vir eximia dignitate conspicuus, GEORGIVS ABEL; Mater ANNA MARGARETHA BEZOLDIA, cuius matronae memoria tanto minus dissimulanda est, quanto accuratius ingenium Pignoris dilectissimi eduxit, quantoque diligentius ad uerae pietatis studium identidem excitauit. Haec uox, hoc uerbum, hoc acroama assidue ex matronae pientissimae ore difflue.

fluebat: IN TEMPORE BONVM RELIGIONIS
CHRISTIANAE FVNDAMENTVM IACIENDVM
ESSE. Aurora solis ortum praenunciat: indoles,
qualis unusquisque futurus. Hanc solliciti paren-
tes in Pignore optimam tempestiue perspiciebant,
praetereaque memoriam admirabilem, nec minus
tenacem ad custodienda, si qua accepisset, quam ad
arripienda, condendaque, quae ipse uellet, depre-
hendebant: id quod uel ex eo cognosci possit,
quod puer annorum duodecim, opera praecipue
matris, omnes ac singulos Hieropsaltae hymnos ad
unguem tenuerit, memoriterque recitare potuerit.
Quod si idem semper esset rerum exitus, quod
principium, nihil neque laetabile, neque eximium
ex me amplius audiretis, Auditores. Nunc uero
ultima initiis rarissime respondent, nec fortunae
ictibus in perpetuum succumbit uirtus, nec ignicu-
li uirtutum in magnis semper animabus calamita-
tum, decumanis licet, fluctibus inundantur. Idque
profecto ipsum euenit Nostro. Si enim quisquam,
hic certe tenui usus est adolescentiae initio, utpote
quae in tristissimam belli illius funestissimi, quod
tricennale uocari solet, incidit tempestatem. Hinc
pater, alioquin opulentior, bonis, fortunisque exu-
tus, ac spoliatus, tantum non habuit reliquum, unde
adolescentis, summa et excelsa minitantis, rationi-
bus consulere ac prouidere posset. Mirum est fa-
torum

torum ingenium: per ruinas saepenumero ad felicitatem uias aperiunt: extremam saepe inopiam ad salutem conuertunt. Atque hoc Noster peropportune expertus est, cui aequè minus inopia nocuit, quam Aeschini, qui, patrem sortitus pauperem, inter summos nihilominus oratores numeratus est, et uel Demosthenis antagonista agnitus: aequè minus, quam Demostheni, qui, consimile prognatus genitore, princeps oratorum euasit: aequè minus, quam S. Hieronimo, cuius, in paupere nati domo, tanta fuit eruditio, ut Graeci, omnes omnium gentium literas fastidire assueti, unius Hieronymi commentarios in sermonem suum uertendos curauerint: aequè minus, quam Diuo Hipponensium Praesuli, qui, pariter parentes egenos nactus, eo peruenit gloriae, ut cum Hieronymo inter Patres, quos uocant *Cardinales*, referretur. Posita autem praetexta puerili, in Gymnasium Onoldinum profectus Noster, mox industria, et amplis progressibus in magnam commilitonum inuidiam incurrit. Semper enim nascentis gloriae comes est inuidia, ut solis umbra, corporis effluuium, fulminis tonitru. Nascitur enim inuidia ex admiratione, admiratio ex uirtute, uirtutisque documentis. Atque haec talia non multo tempore multa dedit KIRCHMAIERVS; idque
B perae-

peraeque sermone Latino, et Graeco; peraeque oratione prosa, ac ligata. Quo fiebat, ut inuidiam aequalium mox cum summorum quorumque hominum, tum praecipue summi Antistitis, et Consilarii Ecclesiastici, Christophori Meelfuhreri, fauor exciperet, et consequeretur. Hic SEBASTIANVM filiis contubernalem appetere: hic in contubernium, conuictumque accipere: hic multis magnisque beneficiis ornare: hic in oculis gestare: hic ex animo carum pro filio habere. Quod genus felicitatis quamuis uehementissime sibi gratularetur Noster, attamen dubitari potest, illine plus, an contubernilibus, haec profuerit coniunctio. Ille quidem, permisso dicam, an rogatu patroni, luculenta uti bibliotheca: ille multa indies haurire utiliter dicta ex ore Antistitis disertissimi: ille praeterea (o beneuolentiam admirabilem!) ab eo Doctore domestico ad linguam sanctam institui; hi autem, exemplo commilitis iis inflammati, certare aemulatione industriae, usque adeo, ut, absolutis deinde, confectisque studiorum rationibus, Licentiati Theologiae renunciarentur. Noster, modo non sexennium Onoldi haerens, cogitationem adeundi Academiam cepit, eo magis, quod a Fratre natu maximo, GEORGIO CASPARO, iis temporibus Ordinis Sapientum

Adscri-

Adscripto, literis subinde inuitaretur; uenisset-
que tunc Vitembergam, nisi diuina prouidentia,
prius subsidia Academica ipsi prospicere consti-
tuisset. Melior tamen ipsi fortuna obtigit,
quam Cleanthi Assio, a laborum tolerantia,
Herculi cognominato, quem, noctu hortulano
cuipiam aquas hauriendo, quaestum fecisse
scriptum legimus, quo paupertatem suam, inter-
diu philosophando, solari posset: Noster magno
uiro operam dicare in animum induxit. Neque
uoto euentus defuit, et nullo ipsum tempore ca-
pti huius poenituit consilii. A cognato, Tobia
Appoldo, Senatore sanctiore Brandenburgico,
et Legato ad Augustissimum Romanorum Im-
peratorem, Ursino, Ratisbonensium Antistiti,
commendatus, huius filius fuit a studiis, ita ta-
men, ut, quemadmodum KIRCHMAIERVS
Ursini filiorum Magister, ita Ursinus KIRCH-
MAIERI Magister esset. Igitur filii Antistitis
a KIRCHMAIERI, KIRCHMAIERVS ab Anti-
stitis ore pendeat. Hic Cynosura erat Nostri:
hic rationem, quam Graeci μέθοδος appellant,
scite tractandi Philologiam tradebat: hic biblio-
thecam luculentam permittebat. Ut uero idem
Magister, qui hospes, ita Patronus idem, qui Ma-
gister erat. Huius quippe auctoritate, atque
commendatione factum est, ut, postquam com-

mendationem egregia scripta, a Nostro elaborata, exempli causa, carmina Syriaca, Chaldaica, Hebraica, Graeca, Latina, Germanica; scriptum de Serpente aeneo; Latina oratio, commendatorem reddidissent, ab Senatu stipendium huic literarium decerneretur. Post haec, annum dimidium Ratisbonae commoratus, cum, ut profundiores tandem aliquando sapientiae latices hauriret, tum uero, ut Fratris (quem Professore Seniore, anno superiore coelo redditum, iam luximus, nondum uero eluximus) literis, hortationibusque satisfaceret, Vitembergam profectus, illam literarum renascentium, illam optimarum artium, illam denique coelestis doctrinae, diuino munere instauratae, ac repurgatae, parentem primam, optimamque consalutauit, anno supra millesimum, sexcentimum, sexagesimo. Quantum ibi, per DEVM immortalem! super aduentu Fratris in Fratris animo gaudium? Tantum scilicet, quantum antea Fratris in animo Fratris desiderium. Quanta porro Fratrum utriusque coniunctio? quanta familiaritas? quanta suauitas? quanta officiorum communio? Summatim uti dicam, quanta fraterni amoris uis ac magnitudo? *Ex eodem, inquit Senex Chaeronensis, materia prima nata sunt elementa inter se diversissima, pugnantissimaque: sic ali-*

sic aliquoties iisdem parentibus nascuntur fratres ingenii dissimillimis. At enim tantum abest, ut hoc in **KIRCHMAIROS** dici possit, ut credidisses, animum in corporibus duobus prorsus unum habitasse. Reuertor ad Academiam, ubi quantus exercendae, iuxta atque ostendendae uirtutis campus fuit? quantum stadium patuit, in quo Noster cum laude immortali decurreret? Princeps sollicitudo fuit, quo ordine eruditionis uastissimae genera animo complecteretur. Totum se Theologiae tradebat, ad quam, uelut diuino quodam afflatu unice propendebat: nec in aditu eiusdem amplius, ut antea, uersari, sed in adyta penetrare pulchram sibi ducebat. Sed tamen, etsi in illo studio sibi acquiescendum arbitrabatur; tamen, praeter illud, non omnino contemnendas neque linguas, Theologo usui futuras, neque literas, neque scientias Philosophicas, artesque optimas, autumabat. In hoc quasi uestibulo prius sibi aliquandiu expectandum existimabat, quam in illud augustissimum sacrosanctae Theologiae conclaue ingrederetur: quo, tanquam a quibusdam ibi famulitiis comptus, ac praeparatus, ornatusque, dominae, Theologiae, inquam, magis placere posset. Neque Rex sine ministris regnare, nec Regina scientiarum sine

seruitiis florere, dignitatemque suam tueri potest. Eamus per secula : conuulamus testem ueritatis, historiam: rerum olim gestarum memorias replicemus : et satis asserto sua constabit fides. Nunquam sine literis artes optimae, nunquam sine artibus religio Christiana integra illibataque stetit. Contra emicuit haec, fulsitque, ubi studia literarum, bonarumque artium uiguerunt. Cum DEVS ex tenebris Pontificiis suos erepturus esset Christianos, excitauit primum in Italia uiros ingenio praestantes, et doctrina praeditos: deinde et in Germania tales, nominatimque Rudolphum Agricolam, Hegium, Capnionem, Erasmus, Melanchthonem, Camerarium: quorum opera ac studio, linguarum, pariter ac omnium disciplinarum cultus reuocaretur, diuinitusque restitueretur. Eam uero rem in coetu Dei secuta est diuina illa lux sacratissimi Euangelii, et doctrinae coelestis a caligine pristina repurgatio. Quod sicut minime nostrum latere KIRCHMAIERVM poterat, sic rectam ille uiam iniit, atque ad assequendam Mysteriorum sapientiam animum tempestiue instruxit: in qua instituti parte Frater consilio, simul et doctrina; plerique Doctores reliqui institutione conata et incepta Iuuenis praestantissimi fideliter prouexerunt. Praeter enim Fratrem Doctores

res

res hosce immortales : NOTTNAGELIVM,
ANDREAM SENNERTVM, AEGIDIIVM
STRAVCHIVM, VVALTHERVM, BAV-
MANNVM, IO. FRID. HORNIVM, PFEIF-
FERVM, adiit, diligentissimeque frequentavit.
Maximum, ueruntamen minime suffecturum,
ad doctrinas comparandas momentum natura
affert, minusque auspicato procedit opus, nisi si
consilio, pariter ac ministerio magistrorum se-
cundetur. Permulum uero interest, quo prae-
ceptore usus sis : raroque sine magnis ductori-
bus magni emerferunt uiri. Vt pauca de innu-
meris exempla uobis, Auditores, in memoriam
reuoce[m], numnamne uobis persuadetis, Plato-
nem, et Xenophontem, sine Socrate; Aristote-
lem sine Platone; Theophrastum Eresium sine
Aristotele; Isocratem sine Lysia; Demosthenem
sine Isocrate; Libanium sine Iamblich[o]; Iulia-
num Augustum, Basilium Magnum, Gregori-
um Nazianzenum, Chryso[stomum], sine Liba-
nio; Hieronymum sine Gregorio Nazianzeno:
utque ad aeuum recentius ueniam, Valesium si-
ne Petauio, Dan. Heinsium sine Iosepho Scali-
gero, eruditorum illo principe, Mich. Nean-
drum, et Georgium Fabricium, sine Melanchtho-
ne; Rhodomannum sine Neandro, in illud, in-
quod ascenderunt, fastigium eniti potuisse.
Haud

Haud mirandum igitur, si, adiutu magnorum
praeceptorum, et Noster breui magnus euasit.
Primo autem omnium ad excolendas magis ma-
gisque linguas, cum primis Graecam, et Orientis,
animum adiunxit. Quippe norat accurate, di-
uinorum uoluminum interpretationem nun-
quam felicem esse posse, nisi aliquis antea in A-
postolicorum fonte, et Prophetarum primis
riuis, Graecis utrisque, perite uersari didicisset:
nisi porro, ne alienis uidere oculis (quod uix sa-
tis tutum habetur) cogatur, Mosen ipsum, cete-
rosque diuinae mentis interpretes loquentes in-
telligat, et non modo Hebraice doctus sit, ue-
rum etiam exquirendi ueri sensus causa Masoram,
Chaldaicas paraphrases, Rabbinicas commen-
tationes, in auxilium uocare, iisdemque commo-
de uti norit. Haec omnia insigniter, tamque
callebat Noster, quam qui maxime: atque id
uerum esse, loquantur uel praecocia illa speci-
mina, pauloque post, quam in Academiam sese
contulisset, in publico cum laude edita: quo-
rum unum disputatio fuit de Epulo Belfazaris,
Praeside M. Clerickio, Hamburgensi, publice
cum laude propugnata; alterum oratio in ser-
mone Persico conscripta, formisque descripta,
de causis odii inter Turcas et Persas irreconcilia-
bilis, auditorio frequentissimo recitata. Post

Philo-

Philologiam cultus Poeseos arridebat, hoc magis,
quod haec iamdum ante in Gymnasiis placuisset.
Haec prima eius fuit Philosophia, a teneris in se-
ros usque annos culta, nec solum inter exerci-
tia adolescentiae, sed etiam oblectamenta sene-
ctutis ipsi habita. Fuit haec verae uirtutis, fuit
uariae doctrinae, primum cum uoluptate imbi-
bendae, tum incredibili cum illecebra alios do-
cendae, instrumentum. Sapienter ueteres Poe-
sin primam quandam Philosophiam uocitarunt,
Poetas autem, nondum orto Philosophorum no-
mine, Sapientes. Nec enim quicquam aliud
Philosophos inter, et Poetas interest, quam,
quod illi doctrinas apertas tradant, hi autem
quibusdam fabularum inuolucris condant, ue-
lentque. Ab his ergo diuinarum, humanarumque
rerum notitia, tanquam ab uberrimo quodam
fonte, dimanauit. Vel unum Homerum, pri-
mum, principemque Poetarum, contemplemur,
a quo Dionysius ille ab Halicarnasso contendit,
*cum aliam doctrinam omnem, tum perfectissi-
mam philosophandi scientiam profectam.* Alii,
quod ille totum, executi per partes sunt, sin-
gulique singula fere argumenta, quibus omnis,
quaqua patet, Sapientia continetur, pertracta-
runt. Ex horum itaque monumentis uiri qui-
que doctissimi partim animum rerum pulcher-
C rima-

rimarum copiis locupletarunt, partim ipsimet, natura obstetricante, uersus pangere didicerunt: ac fuit propemodum nemo, non uulgariter, sed incomparabiliter doctus, quin idem et Poeta fuerit: nec dubito, fore quenquam ex uobis, Auditores, quem fugiat, Democritum, Platonem, Aristotelem, Senecas, Gregorium Nazianzenum, Synesium, Ioannem Picum, Mirandulae Comitem, Franciscum Petrarcham, Angelum Politianum, Franciscum Philelphum, Desiderium Erasmus Roterodamum, Philippum Melanchthonem, Ludouicum Viuem, Moros, Scaligeros, Heinsios, Gassendum, Hugonem Grotium, M. Ant. Muretum, Jac. Aug. Thuanum, M. Zuer. Boxhornium, Aug. Buchnerum, Petr. Dan. Huetium, tum in omni doctrinarum genere, tum in Poesi excelluisse. Ad horum tantorum fastigium Virorum igitur sicut adspirabat Diuus KIRCHMAIERS, ita, in exemplum eorundem, diuinam Poesin haudquaquam intactam relinquebat, sed cum ceteris suis curis omni tempore copulabat: eaque re hoc consequabatur, ut carmen concinnum, graue, elegans, quandocunque uellet, neque id in una tantummodo, itemque altera, sed illis omnibus, quas tenebat, linguis, prompte non scriberet, sed funderet. Nihil non comperitum, exploratumque loquor: nihil prae in De-
fun-

functum studio asseuero : solius me amore ueritatis tueor, ac defendo. Loquantur carmina Graeca, Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Persica, Turcica, Aethiopica, Aegyptiaca, et alia, in Academia composita, quippe typis impressa : quorum quidem exempla posteritas conseruat, ac custodit. Ab hisce amoenitatibus, ab hac Philosophia ludibunda, ad seriam promouit gradum. In hac nihil sicco pede praeter eundum duxit, siue quod mentem rerum pulcherrimarum, scituque necessariarum contemplatione perficeret, et ipsi DEO assimilaret, siue quod ad legem naturae pernoscendam, ad moderandos affectus, ad mores, actionesque, et officia hominis scienda, ad rationem uirtutis assequendam pertinere uideretur : eandemque Viro laudem uindicant, asseruntque specimina solennia, disputando edita : asserunt pariter specimina nondum edita, quae forte posteritas, ut speramus, deinceps a situ, interituque uindicabit. Iam in Historia sacra nihilo secius uersatus est, resque in coetu diuiniore gestas in numero habuit, et ad unguem, quod dicitur, tenuit. Ad eamque laudem tanto maiore contentione grassatus est, quanto iustius magni Theologi, qualis fieri optauerat, nomen tueri niteretur. De quo cum nemo dubitare queat, qui siue in

Gymnasiis, siue in templis docentem audierit; tum testetur praeterea illud, quod in schedis opus affectum, inceptumque, nequedum absolutum reliquit, quodque *Dogmatologiam, Patrologiam, Haeresiologiam, Synodologiam, Martyrologiam, Hierarchologiam, Papologiam, Irenologiam, Schismatologiam, Ecclesiologiam, Muhammetismum*, explicata reddit. Quid tandem dicam de Eloquentia, qua se penitus tingendum dedit, qua multo tempore, multis uigiliis, laboribus, lucubrationibus adepta, in tantum excelluit, ut cum paucissimis in comparationem referendus, plurimis autem anteponendus uideretur. Ingenium excellens, acumen iudicii, memoria exprompta, μέθοδος accurata, sententiae grauiissimae, uerba lectissima, perspicuitas summa, uox clarissima. Quanta, per **DEVM** immortalem! uel maiestas, uel gratia, uenustasque, in illius inerat dictis? Nunc, quasi melleis uerborum fauis, attonitos erigebat; nunc, uelut alter Pericles Olympius, fulgura et tonitrua uibrabat. Huic uidebatur Christianus quidam Demosthenes: illi Germanicus quidam Chryostomus; huic alter quidam Basilius: illi alter quidam Lutherus. Hinc omnes, **KIRCHMAIERO** concionante, magna frequentia confluebant, uerba facturum anteuertebant, subsellia

lia

lia captabant, loca anticipato tempore occupa-
bant, et, quo melius audire possent, uenien-
tem praestolabantur: postea uero, mouentem,
lacertos, et perorantem, maxima auiditate, et si-
lento auscultabant, uocesque plausu mirifico ex-
cipiebant, et nihil magis, quam, ne expectatio-
ne citius finem dicendi faceret, metuebant. Te-
stes prodeant conciones uulgatae eius aliquam-
multae, tam arte perfectae, elaboratae industria,
iudicio perpolitae, uerborum, sententiarumque
luminibus distinctae, ut non modo lectores mi-
rifice delectent, sed etiam animos, oculosque
omnium percellant, in quorum manibus uer-
santur. His, his, inquam, praesidiis firmus, ac
munitus, his auctus, ditatusque opibus, his re-
bus omnibus non instructus magis, quam exer-
citus, dici non potest, quam expedite tandem,
quam auspicato tractauerit ardua illa Theologiae
studia: cuius omnium maximi ornamenti
KIRCHMAIERIANI iusto elogio cum mea di-
cendi infantia par haudquaquam sit, id faciam.
idcirco, quod pictores solent, qui, ingentem ho-
minum uim parua tabula repraesentaturi, mul-
torum capitum solummodo uertices depingunt.
Quapropter ego, huc delatus, tantum summa-
rerum fastigia sequar. In religionis nostrae ca-
pitibus omnibus, ac singulis, ex uero suo funda-

mento ualide, ac perspicue educendis; in mo-
rum, Christiano homine dignorum, doctrina;
in diuiniorem scripturarum sententia, accurate
e fonte suo deriuanda, confirmandaque; in
controuersis, quas uel prisca, uel nostra secula
mouerunt, diiudicandis, quantum Noster studii,
quantum operae, quantum temporis collocauit?
Quantus porro et in hoc studiorum genere pro-
gressus fecit? Praesertim quando nihilo minores
hic, quam in rebus ceteris, Doctores nancisce-
retur. Etenim in illa incidit tempora, in quibus
CALOVII, MEISNERI, QVENSTADII (o
quanta Nomina!) docuerunt. Immo etiam
Iurisprudentiae, immo etiam Medicinae, ope-
ram non poenitentiam dedit. In utroque enim
studio tam feliciter deinde, muneribus imposi-
tus publicis, multos instituit iuuenes, ut, breui
post tempore, de illis non pauci Doctorum de-
cus, atque insignia, cum maxima gloria obtinue-
rint. Testimonium praeterea mihi perhibeant
libri, a Viro in eodem utroque studii genere
conscripti, quorum unus inscriptus est de *Mor-
bis Astralibus*; alter *Corpus Iuris Diuini*, in quo
dissentium Iuris Ciuilis a Iure Diuino demon-
strauit. Et quid, obsecro, uidetur iniquius le-
gibus *de Iureiurando per Mariam semper Virgi-
nem, per Sanctos, per Genium Principis, per qua-*
suor

tuor Euangelia? quid approbatione remediorum,
humanis quaesitorum corporibus? quid legibus
de euocatione sacrorum, de oleo pro uxore in
aede sacra posito, de lucerna monumento alter-
nis mensibus accendenda, solennibusque mortis
peragendis? quid legibus de *αυτοχαιεία* licita?
de Matrimonio clericis interdicto? de Coniugio
inter susceptorem, et baptizatum prohibito? de
mitiore adulterarum poena? de causis dissoluen-
di Matrimonii? de permissione concubinatus? de
embryone non homine? quid legibus multis aliis?
Proh superstitionem! impietatem! nefas? Di-
xi, Auditores, de exantlatis tot, tantisque iuuen-
tutis laboribus: de mercede, de praemiis labo-
rum dignissimis, quantisque, et quam dulces, quam
iucundi fructus secuti sint, nunc dicam. His
quidem praemia alia ex aliis Academica proluse-
runt. Vix sesquianno Vitembergae exacto, pri-
mum industriae pretium, honores sapientiae
summos, ab Aegidio Strauchio, Historiarum,
Professore, suscepit. Non plus hinc, quam se-
mestre, praeterierat spatium, cum, a Patronis i-
pse extimulatus, eadem opera potestatem reci-
tandi et peteret, et obtineret. Posito doctrinae
tyrocinio, mox Praeses ipse vires differendo sum-
ma cum laude est periclitatus, progressuque
temporis saepius, ac uel uicies, de rarioribus ar-
gumen-

gumentis, iisdemque Philologicis partim, partim Philosophicis, publica in palaestra decertauit: domi autem cum uniuersam Philosophiam, tum linguas orientis omnes, magna commilitonum frequentia explanauit. Haud minus uero in ipsa Theologia sese exercitauit; neque solum in utroque templo saepe pro concione uerba fecit, sed etiam sub umbone illorum, quos dixi, Theologorum, omnium ac singulorum, de rebus diuinissimis, nominatim, *de Articulis Fidei Fundamentalibus, de Descensu CHRISTI ad Inferos, de Iudice Controuersiarum Fidei*, publice dissertauit: ex quo id consecutus est, ut potestas aperiendi ludos Theologicos ipsi fieret. Rebus ita gestis non amplius latere poterat uirtus in alto posita, quin externorum etiam hominum oculos feriret, perinde atque ad sui desiderium, cupiditatemque incredibilem allectaret. Tempus erat, ut Noster merces illas preciosissimas, quas hactenus, cum in scholis aliis, tum praecipue in hac diuinae humanaeque sapientiae mercatura, multo cum sudore lucratus esset, in scholastico, inque Ecclesiastico emporio exponeret sacratissimo. Neque Nostro defuerunt licitatores, quandoquidem, ut uerbum illud sonat, quod uulgo dici solet: *Bona merx facile emptorem inuenit.* Qua de causa, etsi ipse met,

met quae incomparabilis erat Viri huius modestia, nondum cognoscens vires suas, in exteros ire destinabat, fatis tamen retrahentibus paruit, Augustamque Tiberii rediit, literis Magistratus amanter inuitatus. Hoc libentius migrabat ille, quo magis animo in gratiam prono, beneficiorumque memore, incitabatur. Horum proinde suauis memoria, iucundaque recordatione commotus, in Ciuitatis eius gremium, ex qua Vitembergam digressus ante fuerat, ex Academia Vitembergensi libens reuertebatur, posteaquam antea cum Sapientum Ordo nouo, eodemque luculentissimo honoris genere, eum honorarat, interque Assessores suos adscripserat; tum Theologorum abituro dederat testimonium, in quo gradu honoris in Theologia summo dignissimus iudicabatur. Hocce uelut com meatu donatus, pristinum remensus iter, inclytam Ratisbonam, uelut postliminio, uidet iterum, tenetque. Ibi munus professionis adeptus quanta id diligentia obiit? quot, quam indefessos labores ad partes hasce exornandas attulit? quanta fide, quantaque contentione cum industriae DEO, tum acceptorum beneficiorum Patronis, et Euergetis, rationem reddere laborauit? Hoc unum dies ac noctes studebat, id agebat unice, huc neruis omnibus incumbibat, ut non tantummodo o-

D

mnibus

mnibus officiis cum uoluntati Magistratus, tum
auditorum expectationi faceret satis, sed, quan-
tum esset in sese, maiorem Gymnasio famam,
nomenque indies compararet. Euentusque spem
non impleuit, sed longissime superauit: neque insu-
per sua KIRCHMAIERO merita minori, quam
Gymnasio, honori, atque emolumento fue-
runt. Nam et Lycei fama, hoc Professore, lon-
ge lateque penetrauit, Academiasque, qua pro-
ximas, qua remotiores, cum primis, quo disci-
plinæ alumni peruenissent, peruagata est: et ma-
ximo numero cum aliorum magnorum Viro-
rum, tum Equitum etiam, Principumque, qui-
buscum etiam literas ab eo tempore commuta-
uit, filii, institutionis fruendæ causa, ad Virum
longe Celeberrimum confluxerunt, usque eo, ut
quotidie horas septem institutioni ipse consecraret.
Sed tantum tamen abfuit, ut molestiarum mul-
titudine frangeretur, ut dicere per sæpe sueue-
rit: **NULLVM VNQVAM SIBI, INTEGRA
VSO VALETVDINE, TEMPVS TAM LON-
GVM VISVM, VT NECESSE SIBI FVISSET
AMICOS IN FALLENDI EIVS SOCIETA-
TEM ADHIBERE.** Interim ad meridianum
fere apicem fama Viri peruenerat, et latissime a-
nimos hominum splendore suo conciliarat. Hac
igitur impulsæ Ciuitas Imperialis ad Tubarim, Ro-
ten-

tenburgum, KIRCHMAIERI adsciscendi cu-
ras agitabat. Accidit, ut, annis post tredecim,
quam Noster Ratisbonam regressus esset, Doctor
Theologus, Io. Lud. Hartmannus, Sacerdos, An-
tistes, Dicasterii sacri Assessor, et Scholarcha,
nutu Coelestis Imperatoris, ex hoc militantium
in triumphantium in coelis coetum transferre-
tur: cui quidem, qui succederet, nemo KIRCH-
MAIERO dignior existimabatur. Vidisses in
Nostro, ubi tam amplae prouinciae deferrentur,
modestiae et pietatis certamen: quantumque is
ab ambitione, tantundem ab impietate abfuit:
sed ita tamen Pietatem sequebatur ducem, ut
ne maiora concupiscere uideretur. Intercessit
singularis Viri sapientia, quae modestiam ita sar-
tam tectamque conseruauit, ut pietati tamen
primas delegandas arbitraretur. Ea quidem
lege Rotenburgo operam addicebat, ut ab Se-
nato Ratisbonensi, a quo beneficiis ingentibus
mactatus esset, migrandi sibi uenia impetrare-
tur. Neque uero Senatus iste, carissimum li-
cet pignus, inuidit Ecclesiae, rogatusque, ueniam
nequicquam difficulter dedit, praetereaue di-
scedentem KIRCHMAIERVM testimonio me-
ritorum insigni prosecutus est, et numo au-
reo, insignibus Ciuitatis insignito, muneratus.
Accitus itaque uenit Rotenburgum, anno, supra

millesimum, sexcentessimum, octogesimo, maximisque Senatus, Populique plausibus exceptus prouincias sacras, scholasticasque ingrediebatur. Antiquum seruabat morem Rotenburgi, nec ab eo, ne latum quidem, quod dicitur, unguem discedendum ratus, nihilo negligentius, quam consuesset antea, res egit suas, et administravit. Non publica solum munera nauiter ac strenue explebat, uerum priuatim etiam erat laboriosissimus. Melanchthonem, communem illum Germaniae Praeceptorem, accepimus, a publicis occupationibus ad scholasticos, eosdemque sibi, id quod saepe dictitauit, dulcissimos labores, domum reuersum, tam docendo, quam commentando, nulli operae, labori nulli pepercisse. Idem hoc factitauit Noster, qui, non satis habens, praeter munera sacra, munus docendi in Gymnasio exequi, domi etiam suae Lyceum habuit, in quo iuuenes ad artes optimas fingeret, ac formaret; in quo in exercitatione perorandi, item in utramque partem differendi, contineret; in quo non ad artes tantum liberales, sed etiam ad ipsam Theologiam, ad scientiam Iuris, ad ipsam Medicinam, erudiret. Vti enim in omni genere ingenium praeclare subactum habebat, ita pariter ingenia plurima felicissime, quod ipsi proprium, et uelut a natura datum erat

rat

rat donum, instituebat. Longum foret, Audi-
tores, commemorare uel exempla illa, quae,
hoc olim duce, hoc ductore, et doctore usa, in-
credibili celeritate uirtutis, aequae ac gloriae cul-
men assecuta, cum sua ipsorum, tum simul in-
comparabilis Magistri sui, nomina aeternarint:
sufficiatque de multitudine tantum non immen-
sa, praeter illos, quos supra nominavi, Licentia-
tos Theologos, uel unum honorificentissime me-
morare IOANNEM BALTHASAREM
VVERNHERVM, Ictum, Antecessorem, et
Philosophum Summum, eundemque hoc tem-
pore Ordinis Philosophi Praesidem, Virum lau-
de omni superiorem, de quo quicquid dixerò,
id omne ne quidem uel leuissimam meritorum
Doctoris tanti immortalium partem assequatur.
Iam quidem multa diximus, Auditores, sed plu-
ra multo dicenda restant: ac uerendum sane, ut
dies non unus, sed plures satis sint, si in reliquas
Diui Nostri laudes, de quibus parum adhuc at-
tigimus, eundem duceremus. Quocirca, si pau-
cas etiamnum prodidero, reliquas, solertium pi-
ctorum ritu, uelo quasi obducam, contegam-
que. Nihil dum uero de moribus Viri sanctissi-
mis, consummatissimisque, uerborum fecimus.
Quoties usu uenire solet, Auditores, ut ingenium,
bonaeque artes, in pessimis etiam reperiantur:

rarissimeque doctrina excellentior, et morum probitas copulantur. At uero Noster nihilo erat doctior, quam moribus excultior: eoque fuit doctissimus, quia sanctissimus, quandoquidem doctrinae modus eminentior mores in habitum meliorem induit, suaeque ipsius magnitudini magis magisque conformatur. Quanquam Noster non magis doctum se, quam Christianum esse, recogitabat: itaque, ut erat heres Nominis Seruatoris, ita simul sanctitatis esse nitebatur. *Summa Religionis Christianae*, inquit Diuus Augustinus, *est, imitari eum, quem colis*: id quod tanto diligentius faciebat Noster, quanto penitius religiones cognitatas habebat. Maxime ab illo tempore, ex quo has docere tenebatur. Sic enim statuebat, nihil esse persona Doctoris alienius, quam doctrinae, uitaeque dissensionem: et, aut non docendum, aut non praeceptis magis, quam uitae exemplis. Id proinde enitebatur ipse, id curabat assidue, ut uita muneri, quod ornaret, responderet, neque ipse praeciperet unquam, quin exemplo ipse suo antea confirmasset. Verum enim uero, quid, Auditores, prius hic, quid posterius referam, dubius haereo, cum uirtutes omnes in hoc domicilio quendam ueluti principatum tenuerint, ne tam Noster uirtute praeditus, quam heros in uirtutibus fuisse uidea-

uideatur? *Virtutem maiorem religione, pietate-*
que in DEVM, nullam in humano genere inueni-
ri, diuinus Plato sapientissime iudicauit. Quan-
to magis hoc sibi persuasum iuit diuiniore col-
lustratus luce KIRCHMAIERVS? Quanto-
que id magis exploratum habuit, tanto studiosius
pietatem prae uirtutibus ceteris amplexus co-
luit. Coluit quippe eam ita, ut nihil eadem
prius, nihil antiquius reputaret. Cum autem
rectissime de DEO sensit, tum id perpetuo egit,
ut omni ueneratione summum Numen sibi red-
deret propitium, ac placaret. Huic interdum,
huic noctu, preces ardentissimas allegabat: huic
psallebat quotidie, canebatque hymnos: huic
sine intermissione suspiria mittebat: huic uota
pro Ecclesiae incolumitate concepta nuncupa-
bat. Cuius quidem rei KIRCHMAIERO
fructum longe maximum captum esse certo sci-
mus. Scimus autem, cum summi Apostoli Pau-
li oraculo admoniti, qui, *magnum esse pietatis*
quaestum, affirmauit; tum alio etiam argumen-
to. Nequaquam fingimus miracula Lutherani,
at nec dissimulamus: utque nihil sine nutu ac
uoluntate DEI, ita nihil praecipue insoliti, nihil
ostenti, nihil prodigii fieri usquam, et unquam,
credimus. Vestram obtestor fidem, ROTEN-
BURGENSES, qui magno numero prodigii
fui-

fuiſtis ſpectatores ; ueſtrum expoſco testi-
monium ; uos ſciſcitor ; ex uobis quaero : numnam-
ne uidiftis ex Diui Veſtri tumulto, ea quidem
aeſtate, quae exceſſum Viri proxime inſecuta eſt,
progerminare, idque ex uno farris grano, non
unam, aut aliquot ſpicas, ſed ſpicarum ſegetem;
progerminantemque adoleſcere, matureſcere; id-
que tempore modico, menſiſque unius ſpatio,
cum quidem circum circa maxima ubique ſoli
ſiccitas, ſterilitasque, animaduertetur? num-
namne praeterea, cum, eodem tempore, ali-
quando horrenda tempeſtas coorta, omnia late
proſterneret, peſſundaretque, ipſasque ur-
bis domos laederet, circa urbem uero arbores
firmas, et uel quercus, ac robora ſubrueret, pro-
ximeque ipſum Beatiſſimi buſtum ingentem
grandinum nubem euomeret, ſpicas tamen in-
concuſſas, intactas, ſaluas, incolumesque manſi-
ſſe? Hae, hae, inquam, ſpicae quaſi haec uerba
prolocutae mihi uidentur : Huc, huc a deſte, mor-
tales, in nos intuemini. A deſte pii, et in pie-
tate, quam docuit, quam et coluit Diuus, per-
ſiſtite. A deſte uero et impii, cumque uiuum
Doctorem audire nolueritis, nos, mortui inter-
pretes, audite. In nos intuentes, o pii, idem
cum pie Defuncto in coelis praemium uobis
promittite : uos autem, o impii, uitam in me-
lius,

lius, si idem cupitis, commutate. Sicut nos
uiremus, ita uiret in Paradiso Diuus; ita et
ipsimet uos, o pii, olim uirebitis: uos autem,
impii, qui impietatem seritis, futuri lolium, i-
gni in aeternum indefinendo uremini. *Solent,*
Auditores, pietatem, id quod Philo, Iudaeorum
ille Plato, censuit, *uirtutes ceterae comitari,* a
qua non magis diuelli possunt, quam umbra a cor-
pore, quod in sole uersatur. Idemque illud ex-
emplo Diui Nostri potuit constare. Is enim ue-
ro, post pietatem, uirtutem nullam pluris fecit,
quam eam, quae cum pietate quam arctissime
cohaereret. Ea uirtus autem in imitatione ipsi-
us DEI sita est: imitatio tota in benefaciendo
uertitur. Hac uirtute ad DEVM proxime acce-
dimus: *Veraque est,* quemadmodum uere ait,
quem modo laudauimus, Philo, *prisca illius Docto-*
ris sententia: *Nunquam homines propius ad si-*
militudinem DEI accedere, quam, cum sint be-
nefici. Nihil aequum proprium est Diuinitatis,
quam benefacere, sine quo **DEVS** ne **DEVS**
quidem esse potest. Hanc diuinam igitur uirtu-
tem Noster imitans, cum Ratisbonae, tum Ro-
tenburgi, tam quibusuis pauperibus, quam in-
primis adolescentibus literatis, dare beneficia:
multis accepta laboris praemia reddere: uiduas
autem, orphanosque, cum maxime subleuare: o-

E

mnes

omnes omnino, quotquot posset, homines officiis deuincire: neminem, cui commodare posset, tristem ab se dimittere: contra ea auaritiam, terribilissimam humani generis pestem, maxime detestari: utque eam tanto facilius fugeret, ac uitaret, nullos fundos, nullos agros, hortos, possessionesque emere. Eo iustius Nostro debetur praeconium, quo subiecti Cyri, Persarum Regis, Regem hunc afficiebant: *Ingenium Cyri non tale est, ut ditari omnino uelit, sed dando magis laetatur, quam possidendo*: cum is quidem multa, magnaue regna in potestate sua haberet, Noster autem nullum omnino peculium suum esse uellet. Plura in hanc sententiam dicerem, Auditores, nisi Diuus, morti uicinus, interdixisset, ne quis ea de re post obitum suum loqueretur. Hinc uero simul summa, et singularis in Diuo modestia, et aequitas animi eluxit: etsi haec et in aliis uitae actibus conspici potuerit. Alienissimus ab omni arrogantia, et fastu, neminem se inferiorem, aut deteriorem existimabat: neminem alto despiciebat supercilio: nihil per impotentiam, libidinemque moliebatur: nullum unquam munus publicum petiit, aut ambiit: delatum uerecunde suscepit: honore nihilo elatior libentissime omnibus aduentibus patuit, audiuit omnes, simulque siue

ope,

ope, si opus, et in manu sua, seu consilio certe,
adiutum iuit. Nihil ipso integrius unquam fuit:
in animo sinceritas, in fronte candor, in uerbis
fides, in gestu, factisque, nihil fictum, nihil ad-
scitum, nihil simulatum, nihil ad fraudes, ad in-
sidias compositum. Fallendi artes, hodie plu-
rimorum proprias, nauseabat penitus, execrabat,
abominabatur. In conuictu quotidiano, in fa-
miliari consuetudine, cum Collegis suis suauissi-
me, humanissimeque uersatus est: neque etiam
cuiquam alii aduersus, aut infensus fuit, nisi si
quando muneris sanctitas tela ipsi subministraret,
zelumque, diras, imprecationes imperaret. Pro-
ut enim osor erat scelerum acerrimus, intermit-
tere non poterat, quin notaret illa, reprehende-
ret, insectaretur. Quantumcunque tamen mu-
neris causa indignandum esset uitiiis, tamen non
minus ad ignoscendum, quam irascendum, pro-
nus erat; factaque emendationis spe, dictum et
factum, iras uel grauissimas deponebat. Nihil
enim in omni uita fuit ipsi facilius, quam aduer-
sariis uel dare ueniam, uel benefacere. Porro,
quanta in Viro temperantia, quanta continentia,
quanta frugalitas effloruit? Quantusque uolu-
ptatum contemptor fuit, tantam ex ea re uolu-
ptatem cepit. Nunquam enim, usque ad ex-
tremam senectutem, Aesculapius fuit opus. Quid

de sedulitate Viri, et industria dicam, quae tanta fuit, ut propemodum uim illi, atque mortem attulerit? Nullam horam transmisit otiosam, et, natura ab otio alienus, nec agendi impetu unquam destitutus, coeli ingenium, nondum ipse coelo redditus, est aemulatus. Cum enim reliqua omnia sine pretiis emi haud possent, pulcherrimarum rerum scientiam sola constare diligentia sciebat. Hanc tanto diligebat magis, quanto maiori multa sciendi desiderio flagrabat: uidebaturque, si quidem singularis modestia animi sinere potuisset, cum Hestiaeo illo Pontico, nunquam se orientem, aut occidentem solem uidisse, quin semper disciplinae esset intentus, gloriari posse. Si quando esset laboris omnino uacatio, nec tum tamen egit ille otium, otium ratus sine literis mortem esse, uiuique hominis sepulchrum. Legit autem, si nihil aliud agendum foret, scripturas diuinitus patefactas, cum quibus, praesertim diebus festis, lectionem Theologorum ad mores instituentium, maxime Britonum, coniungebat. Cumque fidibus canere didicisset, et instrumentis Musicis scienter, uti, hoc praeterea amoenitatum genere seriarum curarum attemperabat, sed ita tamen, ut nihil, nisi hymnos, cum ab aliis, tum uero etiam ab ipsomet se confectos, cantitaret. Qua ex re insignem

signem cepit fructum, seque saepe fassus est
MULTIS AC VARIIS MOLESTIIS, AT-
QUE ANIMI SOLICITVDINIBVS, HOC
VELVTI REMEDIO, MEDICATVM. Cum
uero in uita omni, tum in muneribus praecipue
publicis, laboriosus erat; tam laboriosus, ut, qui
Viri, iamdum clarissimi, et muneribus publicis
fungentes, eius institutione intra uelum in re-
bus pluribus frui cuperent, ea potiri felicitate
haud possent: non quo Diuus ipsis nollet com-
modare, sed quia negotiorum turba, et multitu-
dine, re illa prohiberetur: tam laboriosus, ut,
cum scripta permulta, cedro illa dignissima, af-
fecta dederit, consummata dare propter nego-
tia haud potuerit: quae si, ab illustribus ingeni-
is perfecta, bono literarum, Ecclesiaeque edantur,
non dubitamus fore, ut et aeterna sint, et aeta-
tem KIRCHMAIERI cum aetate huius uni-
uersi exaequent. - Excitate uos igitur, o magnae
animae, et accingite ad haec talia perficienda:
pleneque elaborate *Ius Diuinum*, huiusque a Iu-
re Quiritium dissensum ostendite; exasciate *Cor-
pus Iuris Naturae, et Gentium*; absolute *Ar-
cana DEI, Diaboli, Mundi, Carnis*; supplete
communes in omni scientiarum genere errores;
ad finem perducite *Thesaurum Philologicum, in
modum disciplinae scriptum*; perficite *Theologi-*

*am Historicam ; explete Historiarum Volumen
Controversiarum ; expolite de Morbis Astralibus
librum ; interpolate monumenta complura di-
uini ingenii alia, et in lucem edite publicam,
cum Theologica, tum Philosophica : ea uero re
non magis Diui, quam Vestram ipsorummet fa-
mam extendite : nec KIRCHMAIERIANI,
Vestrique Nominis magis gloriam, quam litera-
rum, quam Ecclesiae, quam ipsius inprimis DEI,
gloriam amplificate. Redeo a Vobis ad Diuum,
qui, cum ceteras omnes uitae huius uoluptates
pro nihilo duxerit, in solo matrimonio, eodem-
que exoptatissimo, curarum, molestiarumque
innumerarum lenimenta quaesuit, iuxta et
inuenit. Duxit autem Virginem Ornatissimam,
MARIAM MAGDALENAM NOTTNA-
GELIAM, Vitembergensem, nunc Viduam,
Coniugis amantissimi obitu etiamnum consterna-
tam. Haec, propter cumulatissimas illas dotes,
quibus sexus elegantior distinguitur, Augustam
Tiberii accita, inque manum KIRCHMAIERO
data, cum Marito, quoad is uiueret, suauissime
conuixit, adeo quidem, ut ille pro tam fida, tam-
que casta, tamque pia uitae Socia, DEO, tam san-
cti foederis auctori, identidem gratias egerit im-
mensas. Sed obruo tandem dicendorum copia,
et, quo plus uerborum facio, hoc plus superesse
uideo.*

uideo. Quamobrem, quoniam de omnibus Di-
ui uirtutibus explicari nequit, illud tantummo-
do addidisse habebō satis, quo uirtutes omnes
quasi coronantur. Idque nemo ignorat con-
stantiam esse, quae summa fuit in Theologo no-
stro, et cum in rebus aliis, tum, et uel maxime,
in opinionibus de religione prodita. Quas ete-
nim de rebus diuinis sententias primum in opti-
morum sinu parentum, postea in illustribus Gy-
mnasiis, tum nostrate in Academia per sibi fami-
liares reddiderat, eas, ad ultimum usque spiri-
tum, factas tectasque conseruauit, neque ullis se
Ecclesiae dissensionibus, discordiisque, corrumpi
sinit, et, morti proximus, palam, fidenterque fas-
sus est, se doctrinas, in libris Ecclesiae purioris com-
prehensas, usque ad supremum diem seruaturum;
omnes autem ac singulas haereses, cum ueteres,
tum nouas; in his Fanaticorum, Anabaptistarum,
Veigelianorum, Suenckfeldianorum, aliorumque
id genus monstrorum, tota cogitatione abhor-
rere. Quod tanto maiori in laude ponendum,
quanto difficilius est his temporibus effugere
corruptelas, quibus uel cautissimi irretiuntur, et
imprudentes opprimuntur. Callidissima hodie
est imponendi ratio, et insidiarum plena, qua
uel sapientissimi capiuntur, priusquam retia sibi
posita intelligant, ac animaduertant. Haec tamen,
auspi-

auspicio, beneficioque diuino, euasit Noster, neque instar arundinis, uentorum ui modo huc, modo illuc agitandae, ab sana, quam animo semel imbibisset, sententia dimoueri potuit, sed in ista perpetuo perstitit, tenacissimeque perseuerauit. Nunc uero optandum esset, Auditores O. O. Honoratissimi, ut, cum de tot immortalibus Viri dotibus exposuerim, eum ipsummet immortalem nominare possem. Quanquam commodum me reprimo, neque illud, modo quod dixeram, dictum uolo. Tum enim Diuus demum coepit uiuere, ubi desuisse censetur: tum immortalis fieri, cum mortalitatis expleuit leges: tum mortem cum uita commutare, quando uitam cum morte commutauit. *Neque enim ille, iudicio sancti Augustini, moritur, qui moritur ante, quam moriatur.* Atque id quidem uere de Nostro praedicare licet. Praeterquam enim, quod uniuersa ipsi uita commentatio mortis esset, annis ante uiginti, quam ex uita decederet, quam maxime ad mortem, uitam, inquam, sese praeparauit. Cum semper alias, tum ab illo in primis tempore, *uitae finem suis cogitationibus*, quod Zaleucus monuit, *ita familiarem fecit, quasi praesens esset.* Non usque ad morbos, mortis praenuncios, apparatus mortis procrastinauit; sed firmus, ualensque, aevi praecursorem melioris expectauit. Aegy-
tios,

ptos, accepimus, in conuiuia inferre sceletos
consueuissē, id est, exsiccata hominis, atque in-
ter se compacta ossa, hortarique conuiuas, uti
se meminerint non ita post multo tales fore. At
Noster non in conuiujs, quippe quae asperna-
batur, sed omni tempore quodam mortis signo
memoriam mortis sibi refricabat, iisque annis,
quos dixi, uiginti ante, quam diem supremum
obiret, capulum, qui ossa olim conderet, quem-
que ipse interea indies ante oculos haberet, atque
intueretur, sibi fieri curauit. Post id tempus,
praesente animo, ianitorem aeternae beatitudinis
expectabat. Nullus tamen mortis emissarius ante
annum C. N. millesimum, sexcentesium, o-
ctogesimum nonum accessit. Curatissimis e-
nim precibus per saepe DEVM obsecrauerat Di-
uus, ut, quando ei uideretur, ne aduersa cor-
pus ualetudine affligi pateretur: se, missis, cul-
catisque mundi delicijs, tempus tanto rectius
collocaturum, tantoque magis Nominis diuini
honorem, itemque hominum commoda, ampli-
ficaturum. Consecutus, quod efflagitauerat,
nulloque graui morborum genere unquam con-
flictatus, anno quadagesimo nono, eodemque
climacterico, ut uocant, in primum, et qui-
dem lentum morbum incidit. Huic tamen
remedium in thermis, quo abibat, Carolinis
F. quae-

quaerens, diuino munere inuenit, tametsi anno demum uertente in sanitatem pristinam restitueretur. Sed enim, quemadmodum senectus ipsa morbus est, ita non fuit diuturna haec felicitas, decimoque post anno plures simul, iidemque graues, morbi ingruunt, supremamque horam abesse propius haud obscuris indiciis ostendunt. Quod tamen etsi clam ipso esse haud poterat, tamen, quasi, quod imperator ille de sese pronunciauerat, Imperatorem stantem oportere in acie mori, idem uerbum in Theologum conueniret, usque in eundem diem, qui proximus ab *emortuali* erat, officii sanctissimi muneribus, cum in aede sacra amplius non posset, domi, et uel lecto tandem affixus, perfungebatur. Namque nec tum quidem operum instabat terminus, licet uis morbi acrius instaret Diuo. Ultimus labor carmen erat, quod Olor iste, proxime obitum pangens, DEO, CHRISTOque suo, canebat. Sic autem canebat.

*Salue, fausta dies! salue, peramabilis
hora,*

*Arbitra qua uitae, mors, mihi uincla
secat;*

Vincla

Vincla molesta mihi. Nunc fessis terra quie-
tem

Exuviis praebet: spiritus astra petit.
Compedibus laxatus iis, quam suauiter olim
Expectabo tubae, quos dabit illa, sonos?
Ast tibi quas grates soluam, DEVS Optime,
pro tot

Promeritis in me, muneribusque tuis?
En! mea quae soli tibi mens est debita, tan-
dem

Gestit in amplexus, CHRISTE, uenire
tuos.

Aetas prima mihi multo sudore peracta est,
Quaeque uirum fecit, plena labore fuit:
Et, quam fortunae reputant plerique trium-
phum,

Haec fuit aeta mihi plena senecta malis.
Exacti tandem fuerit meminisse laboris
Dulce, nec horrisono fata timere salo.
Cessat hyems, creber imber abest, nec tela coru-
scant

Amplius, hostiles disperiere minae.

E 2

Tu

Tu mihi testis ades, coeli venerabile NV-
MEN,

Quam migrem terris ad tua iussa libens.
Ignosco facilis, mihi si qua iniuria facta est,
Ex animo cunctis omnia fausta uouens.

O mihi si liceat, quos laesi forsitan ipse,
Sanguine (nam facerem) propitiare
meo!

Quas mihi larga DEI concessit dextera dotes,
Has supero, iuncta laude, resigno PA-
TRI.

Foenora sint coelo, si quae peperere lucella:
Nam quae possideo, debeo cuncta DEO.
Nosti, summe DEVS, mihi quod scopus unus,
et ardor

Nominis extiterit gloria sola tui.

Humano generi prodesse, et pectora coelo
Iungere, uiuendi norma mihi ista fuit.

Mundo displicui, ceu displicuit mihi mundus;
Grata mihi IOVAE gratia sola fuit.

Quae

Quae pietas, quam sancta fides fuerit mihi
uino,

Me fatis functo, Patria sera sciet.

Doctrinam, uitamque meam non, spero, tace-
bunt

Passim, uirtutis quos pius ardor agit.

Non uenor laudes, tibi sed iam defero pleno

Ore, DEVS, quoniam gloria cuncta
tua est.

Haec sunt cuncta DEI: mea sunt peccata,
pudorque,

Et, quam promerui, uindictis ira DEI.

Vt tamen occumbam terrore, metuque solutus,

Hoc Mediatoris gratia larga facit.

Laetus te linquo, dulcis ROTEBURGA,
uoloque

Admonitam, IOVAE sis pia, cauta tibi:

Vt tibi sancta fides, bona religioque perennet,

Vt DEVS haeretica te sine fraude sinat.

Sed nunc, terra, uale! Notique, Bonique, ua-
lete!

Salueto coelum! te uolo, teque fruar.

F 3

Quod

Quod sanctus dixit Chrysoſtomus: *Virtus
ſanctorum praeualuit circa mortem*, idem illud
plane in Noſtrum competit. Nam non ſolum
plenus fiducia, ultimis uitae ſuae horis, con-
tinuos ſermones ad **SERVATOREM** dul-
ciſſimum habuit, precesque ardentiffimas, id-
que ſublata, clariffimaque, et olim ſolita vo-
ce fudit; ſed quoque non horam, uerum i-
pſiſſimum articulum, momentumque mortis,
uelut uates, ſibi ipſemet praedixit, ac denun-
ciauit. Fuit hora tertia huius ipſius diei decimi
ſeptimi Kalendas Nouembres. In hac, inter coe-
leſtiſſima ad **SERVATOREM** alloquia, diui-
no plenus **SPIRITV**, et ineffabilia aeternorum
gaudiorum, ac beatitudinum initia praefenti-
ens, animoque iamdum praecipiens, acquie-
uit. Talis, talis fuit, Auditores optimi, Beati
SEBASTIANI KIRCHMAIERI exitus. Quid
dico? exitus. Talis fuit Diui **KIRCHMAIERI**
transitus. Quid enim, obſecro, mors piorum
eſt? Quaedam ad ſempiternam felicitatem
transgreſſio. Quid mors piorum eſt? Iter,
aditusque ad ſuauiſſimum, amoeniſſimumque
Coelitem contubernium. Quid mors piorum
eſt? Miferiarum, calamitatum, rerum aduer-
ſarum omnium remedium. Quid mors piorum
eſt? Tranquillus poſt tempeſtatem portus.
Quid

Quid mors piorum est? Principium uitae.
Quid mors piorum est? In coelum dux. Quid
mors piorum est? Migratio quaedam, com-
mutatioque uitae in uitam. Quid mors pio-
rum est? Bonorum omnium initium. Certa-
minum enim finis coronarum principium exi-
stit. Quam pulchre M. T. Cicero: *Mori*, in-
quit, *nemo sapiens miserum duxit, ne beato qui-*
dem. Quanto aequius Christianus hoc idem
dictitet, praesertim de beatissimo, de beatif-
simo, inquam, SEBASTIANO KIRCH-
MAIERO? Hic hilare, florensque aeterna
felicitate aeuum peragit: hic, egregia emen-
sus curricula, tenet metam: hic ex calamita-
tum fluctibus in beatorum euasit insulam: hic,
militiae terrenae molestiis perfunctus, in coelis
ouat, ac triumphat. Huc contendebat assidue:
huc omnes uitae suae actus referebat: huc
omni nisu adspirabat: huc olim uenire olim
unice cogitabat, optabat, desiderabat. Quem-
admodum in scena, qui partes egit, personam
ponit, libensque domum redit: sic Diui ani-
mus, ex uitae huius teatro, in aethereas, unde
datus his terris fuerat, domus laetus, exultans-
que rediit. Personam egit suam Diuus SEBA-
STIANVS KIRCHMAIERVS: bene
egit. Quid itaque restat?

PLAUDITE.

